



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XIX. De nonnullis capitibus, quæ cuilibet ad perfectam cum Deo conjunctionem, quasi ad unicum suum finem tendenti, perpetua quotidianæ commentationis materia esse possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT XIX.

De nonnullis capitibus, quæ  
cuilibet ad perfectam cum DEO  
conjunctionem, quasi ad unicum su-  
um finem, tendenti perpetua quoti-  
dianæ commentationis materia esse  
possunt.



Firmavi supra, homines à multis  
retro annis in divinarum rerum  
commentatione exercitados, lo-  
cò variandæ quotidie suarum me-  
ditationum materiæ, posse nonnullas verita-  
tes, præcipui ad vitam spiritualem universam  
momenti deligere, quas pro unico, & eodem  
semper mentis suæ pabulo habeant, singulis-  
que diebus ruminandas resumant, plenius  
hoc pacto, & solidius ex iis alimentum ductu-  
ri. Prædictæ igitur sententiæ meæ inhærens  
nonnullas harū veritatū proponendas hîc duxi  
ad illorum usum, quibus apprimè, & pecu-  
liariter opus meum servit: illorum videlicet,  
qui omni aliorum finium multiplicitate able-  
gata nullum cogitandi, volendi, & operandi  
scopum habent, nisi nostrum *unum necessari-*  
*um*, nempe ut DEUM ex toto corde ament,  
in-



intimáque illi, & quàm perfectissima conjunctione adhæreant. Si tu ergo, pie Lector, ex horum numero es, poteris quatuor hic subjectas considerationes quovis manè renovare: primam, quid sit DEUS, quò illius admiratione totus absorbearis. Secundam, quid sint res creatæ, quò eas minimi facere, & negligere addiscas. Tertiam, quid tu ipse secundum naturam, & qualitates tuas sis, quò merum nihil coram DEO te esse intelligas. Quartam, quid idem ipse sis, quando per amorem cum DEO copularis, quò tam beatam tuam sortem pro suo merito æstimes, appetásque. Considerationes, quæ quantò sæpius regustatæ à te fuerint, tantò sapidiore tibi accident: & ubi plenam, ac vividam veritatis suæ intellectionem tuo animo impresserint, omnem rerum præsentium æstimationem, amoremque indè abigent, adeò ut nihil jam æstimaturus, desideraturusque sis præter DEUM.

2. Considera igitur primò, DEUM esse Ens infinitè bonum, infinitè pulchrum, infinitè perfectum, imò ipsammet puram putam bonitatis, pulchritudinis, ac perfectionis naturam: non hanc nempe, aut illam particularem, sed totam universè, quantaquanta cogitari, atque existere potest, bonitatem, pulchri-



chritudinem, & perfectionem: adeò ut nihil boni, pulchri, & perfecti possit extra ipsum, nisi per participationem ipsius esse: quemadmodum nihil revera per totam retro æternitatem fuit, priusquam ipse paucis abhinc millibus ex immensissimo increatæ, æternæque essentia suæ pelago, quasi unam totius collecti illic boni guttam profunderet, quidquid hoc cælorum, elementorumque, & tot rerum aliarum est, quod nos mundum vocamus. Ad summum tale ipsum esse, tamque mirum, & nostra omni cogitatione excellentius objectum, ut videri palàm nequeat, quin suos spectatores incredibili quadam delectationis, ac stuporis vi extra se ipsos penitus rapiat, & per totam, quàm longa est, æternitatem in jucundissima sui contemplatione immobiliter fixos, ardentissimoque sui amore colliquescentes detineat. Hæc singula, & omnia expresso fidei assensum apud temet ipsum statue, eaque pro certioribus à te haberi profiteri, quàm certam habeas ipsammet tuam existentiam, & quidquid oculis vides, manibusve contrectas. Neque contentus sis, ea tam firmiter credere; sed cures præterea, quàm maximè expressam, & vivacem eorum speciem in mente formare. Tum pari cum persuasionis firmitate hinc



colligas, quemadmodum DEUS est totum esse, idque infinitum, tota bonitas, eaque infinita, tota pulchritudo, & perfectio, eaque infinita; sic totam ipsi tuam æstimationem, totumque tuum amorem deberi: imò nihil à te concipi æstimationis, & amoris quantifcun- que tui animi conatibus posse; quin longissi- mè, infinitéque infra illius meritum sit. Ac postremò, quod prædictæ cogitationes omni jure exigunt certissimum voluntatis decretum concipias, hæc illi vectigalia, si minùs pro sua dignitate, pro tuis saltèm viribus posthac sol- vendi. Quam solutionem jam nunc aliqua ex parte auspicaberis, infinitam præsentis illi- us majestatem sic alloquens: O maximum, ô summum, ô immensum, ô unicum totum, *DEUS meus, & omnia!* Quis te dignè admira- ri valeat? Quis non perhorrescere, quando- cunque intueri te auset? *Domine, consideravi, & expavi.* Mens mea vel ad primum tam incom- prehensibilis abyssi prospectum subita verti- gine obruitur, deficit, caligat, omnem senti- endi, & ratiocinandi usum amittit, ubinam sit, quidve agat, nescit, neque plus spiritûs, & vocis retinet, quàm quod satis sit, ut profite- atur, te Dominum esse, infinitis vicibus ex- cellentiorum, admirabiliorumque, quàm fin- gi



gi cogitando à se possit: nullum reverentiæ, nullum laudis, nullum honoris, obsequiique modum reperiri, quo non exaggeratior tibi debeat: omnesque rationales substantias in nulla re alia occupari debere, nisi in te, quantum maximè possint, colendo, atque amando. *Regi seculorum immortalis, & invisibilis, soli DEO honor, & gloria in secula seculorum, Amen. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipse. Venite, exultemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei: quoniam DEUS magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra? Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus.*

3. Secundò, postquam ità contemplatus fueris, quid sit DEUS, transi ad considerandum, quid sint res creatæ: & palàm perspiciēs, unamquamque ex iis, imò earum quoque



omnium universitatem præ illo instar atomi esse : quoniam , tanquam momentum statere , sic est ante te orbis terrarum , & tanquam gutta ro-  
ris antelucani , quæ descendit in terram. ( Sap. ii. )  
Imò similiorem nihilo esse , quàm enti , juxta illud Isaiaë , ( c. 40. ) Omnes gentes quasi non sint , sic sunt coram eo : & quasi nihilum , & inane reputatae sunt ei. Quamvis enim creatæ res omnes aliquod esse , & aliquid boni habeant , tamen neque illud , nisi intrà certam mensuram habent , nempe infinitè minus reliqua possibili illius amplitudine ; neque hanc ipsam , quæ eis obvenit , illius portiunculam , suum aliquid jure possunt vocare : cùm haudquaquam per sese , & propriis suis viribus vel affectuæ illam sint , vel sibi retinere impossibilem queant. Quamobrem , licèt earum aliquæ cum aliis inferioribus comparatæ dignitatis prærogativâ emineant , magnæque , & peculiari in pretio habendæ videantur ; si tamen ex adverso DEI spectare illas libeat , omnis protinus earum exuperantia evanescit , inque nihili humilitatem subsidit. Quod ut clarior in sensibili quapiam imagine appareat ; finge animo sphæram ignis , & lucis , omni ex parte infinitam , unde tenuis scintilla foras profiliat : & , postquam tecum reputaveris , quàm



quàm insensibilis, vixque nihilo major præ infinito illo igne, ac lumine hæc foret; con- clude, haud dissimiliter à DEO, infinita bo- nitatis, & perfectionis sphæra, diffusum in mundi productione esse, nec præ illo posse majus tenui scintilla censeri, quidquid finitæ bonitatis, & perfectionis in hac omni univer- sitate contemplandum se objicit. Neque sa- tis tibi sit rerum omnium creatarum præ infi- nito suo Authore exilitatem generatim dunta- xat perspicere: verùm progreditor ad ean- dem majoris utilitatis tuæ causâ specialiùs considerandam, circa illas fortunæ, naturæ- que, & virtutis dotes, quibus qui excellunt, majori esse in pretio, & admiratione apud ho- mines solent: nimirum circa hujus divitias, honores, dominatum, potentiam; illius pul- chritudinem, dexteritatem, ingenium, fa- cundiam; alterius sanctimoniam, morum in- tegritatem, affectuum moderationem, ma- gnitudinem animi. Quantum enim horum quilibet secundum prædicta sua decora tecum, vel cum aliis in eodem genere minùs præstan- tibus comparatus, felix tibi, eximiùsque ap- parebit, & in sui venerationem te rapiet; tan- tum altera ex parte, si coram DEO, à quo secundum easdem prærogativas infinitè exce- di-



ditur, illum spectare, & perpendere instituas, in æstimatione tua decrefcit: &, qualis re ipsa est, minimi pretii, imperfectus, humilis, pusillus, egens, infirmus, neque tam invidia, & admiratione dignus ob exiguam, quæ ipsi contigit, quàm commiseratione, ob infinito majorem, qua caret, mensuram, videbitur. Præsertim quòd fortunæ, naturæque ornamenta, esto alicui, quanta optari possunt, contingerent; pro nativa tamen sui generis, suæque conditionis exilitate apud idoneos rerum iudices contemptui esse potius, quàm admirationi merentur. Cùm neque habiliores nos reddant ad consecutionem nostri ultimi finis; neque in ipso præsentis sæculo, quod longissima est illorum mensura, ullum pariant vel firmæ valetudinis corpori, vel sinceræ, solidæque lætitiæ animo fructum. Quod verò ad supernaturalia Christianarum virtutum, & sanctimonix decora attinet, licet nobilissimi hæc generis sint, nunquam tamen in terris absque magna contrariarum imperfectiorum mistura obtinentur: cùm neminem tam extraordinariæ sanctitatis reperire inter homines sit, qui præclarum animi sui nitorem aliquibus subinde culpis non inquinat, nec in assiduo, quantum ex ipso est, versetur, gra-  
vif.



vissima quævis crimina committendi, discrimine, nec multis obnoxius infirmitatibus, tentationibus, inordinatis animi motibus, dubiis, timoribus, aliisque id genus miseriis sit, quæ illum cogunt sibi displicere, & cum Apostolo gemebundum exclamare, (*Ad Rom. 7.*) *Infelix ego homo.* Præterquam quòd, quantacunque demum illius sanctitas sit, haudquamquam virtutis suæ partus est, sed munus gratuitum à divina ipsi liberalitate impertitum, cujus laus non ipsi, sed DEO debeat. Et sanè felicem te, si dilucido, exactoque mentis visu hanc veritatem perspexeris. Quot, quàmque præclaros indè colliges fructus? Colliges primò sapientem terrenæ omnis gloriæ, atque æstimationis contemptum, tanquam rei vanissimæ, neque ullum habentis fundamentum, præter illius, cui defertur, nihilum, illiusque, à quo defertur, errorem. Cùm enim divini Verbi oraculo definitum sit, (*Luc. 18.*) *Neminem bonum esse,* (propria nimirum bonitate præditum) *nisi solum DEUM;* cùmque omnibus constet, gloriæ, atque honoris vectigal nemini jure ob alienam, sed ob propriam tantummodo bonitatem persolvi; palàm sanè hinc consequitur, gloriam, atque honorem nemini posse, præterquam DEO



rite, & convenienter deferri. Quapropter, pro eo ut inideas alienis laudibus, aut inaniter glorieris de tuis; utrasque deridebis, ceu imaginem quamdam officiorum, quæ duo iumenta scabendis mutuo affricu suis ulceribus, atque sordibus sibi invicem præstant, dicens tecum: apage has hyperbolas, hæc mendacia, has ironias, has officiosas ludificationes, has laudes denique, quæ uni propriè magno, propriè sapienti, propriè sancto, propriè bono, perfecto, & beato, DEO nimirum jure conveniunt, extrâque illum nihil aliud sunt, quàm splendida defectuum incrustatio, quàm speciosa miseræ velamina, quàm circumpositæ nihilo phaleræ. In calamitoso, abjectoque statu jacenti mendiculo, putà seminudo, aut leproso ulceribus cooperto, nihil majus præstare, & convenientius humanitas potest, quàm ut pia eum miseratione prosequatur, & amicis juvet subsidiis. Ulteriùs progredi ad extollendam illius conditionem titulis illustribus, & quàm fortunatorum hominum propriis, tam misero gravibus, haudquaquam honorare, sed irrisui, & ludibrio habere illum foret. Colliges præterea similem alterum, nec minoris pretii fructum, pluris scilicet semper facere, quid de te DEUS, quàm  
quid



quid homines sentiant, imò nihili horum omnium iudicia præ iudicio illius pendere: adeò ut manifestæ insanix specimen putes, aliquid ab ipso improbandum facere, quantiscunque id acclamationibus universi mortales celebraturi sint, non aliter atque insanum putares, qui nîl pensi haberet, maximi Regis æstimationem, benevolentiamque amittere, dummodo infimis illius servis placeret. Colliges tertio libertatem animi à servili quovis respectu, & timore hominum, cujuscunque ii conditionis, locique sint, & quantacunque seu dignitatis, seu doctrinæ, seu sanctimonix præstantiâ supra se emineant. Adeò ut securè, fidentèrque cum summis quibusque mortalium congregiaris: memor scilicet, nihil eos tandem aliud, quàm homines esse, plurimis pro communi naturæ suæ lege, quâ corporis, quâ animi necessitatibus, vitiis, defectibus, intemperis, atque ærumnis subjectos: nec posse propterea ullo in genere tantum excellere, quin etiam tum abjecti, egeni, imperfecti, atque infirmi esse pergant, digniorèsq; quorū misereâre, quàm quos timeas: præsertim si coram DEO illos spectes, in cujus præsentia omnis creatæ cujuscunque rei inter alias magnitudo, atque excelitas continuò e-



vanescit, omnesque remanent æquè humiles, æquè parvæ, ac similes nihilo. Quartus, quem indidem colliges, fructus fuerit, parum de te ipso, deque aliis hominibus, & seu de tuis, seu de illorum prærogativis cogitare: dedignando curiosius indagare, quidnam in orbe terrarum novi contingat circa magistratum creationes, bellorum eventus, & temporalia id genus negotia, tanquam circa res nihilo majoris ad cognoscendum momenti, & sciscitatu digna, quàm sint fervidæ duorum canum de projecto osse pugnantium rixæ, aut seduli passerum in suis nidis fabricandis labores, aut solliciti formicarum ad hyemalem annonam in subterranea sua horrea convehendam discursus.

4. Tertiò, à rerum creatarum genere ad te ipsum considerationem deflectens, quid ipse nominatim sis, quàmque inops, vilis, & miser, perpende: tum quia naturales tuæ quæ corporis, quæ animi dotes curtæ admodum, mancæque sunt, vel præ aliorum complurium in iisdem præstantia, nedum præ infinitè majori amplitudine, & perfectione, ad quam novis semper incrementis possent pertingere: tum quia neque hæc ipsa qualiscunque earum supellex bonum propriè tuum est, & de quo  
ul.



ullum gloriandi jus habeas, sed merum DEI opus, & donum: qui veluti ex gratuita sua liberalitate illud tibi impertivit, sic potest, quodcumque libeat, te eodem spoliare, & penitus vacuum relinquere: tum quia hæc tam tenuis boni, & quidem alieni particula, longè majorem adjunctum sibi habet malorum, & miseriarum cumulum, cujusmodi sunt hinc mœrores, curæ, anxietates, iræ, timores, aliæque id genus ægritudines, quæ animum tibi assiduè perturbant; indè morbi, imbecillitates, dolores, elementorum injuriæ, casuum adversa, aliæque vexationes, & molestiæ, quæ corpus continenter affligunt: tum denique, quia hisce naturalibus, & præsentis duntaxat vitæ malis, alia ex morali tua pravitate accedunt quàm plurima, & tantò gravioris momenti, quantò potiorem hominis vitam afficiunt: summa videlicet in vetitum quodvis nefas propensio, par ad rectè agendum imbecillitas, & socordia, tot inordinati, & perduelles rationi motus, qui nullo non tempore jam hi, jam illi in tuo corde excitantur, tot culpæ, quibus nullo non die DEUM offendis, animæque integritatem comaculas: nullumque esse tam extremi sceleris genus, in quod non assiduè pericliteris prolabi, nec posse  
un-



unquam tibi certò constare, amicúſne DEI; an inimicus sis, núnque æterna, in cælo felicitas, an sempiternus apud inferos luctus te maneat. Quæ omnia postquam sedula consideratione perpenderit, argue illinc, quàm humili, submissóque animo ante infinitam DEI Majestatem versari debeas: non aliter te coram illo, quàm ùt vermiculum, quàm ùt lutum, quàm ùt ipsum merum nihil spectando, firmissiméque statuendo, consentaneum rationi, & æquitati esse, ut eum, non intrà quemcunque modum, sed infinitè pluris pendas, plúsque ames te ipso: imò ut neque ullo pacto te ipsum pensi habeas, & ames, nisi quamdiu cum eo non compararis: ubi verò ad comparationem hujusmodi ventum sit, omnem tui memoriam, sensum, curam, cogitationémque illico exuas, & à te ipso in eum transferas. Quam veritatem nimium quanti interest, probè intelligere, penitúsque insculptam animo habere. Necessarium siquidem fundamentum est summæ illius erga Deum charitatis, qua impellente sancti viri non solùm plenissimo cum assensu excipiunt, quidquid contra suas præsentis vitæ rationes DEO ità decernente evenerit, omnibus suis emolumentis, & commodis illius voluntatem præ-

ha-



habentes ; verùm etiam promptissimè eligerent , aternalibus potiùs flammis per totam æternitatem cruciari , quàm fecisse unquam , vel facere , quod ipsi displiceat : minoris mali locò gravissimum illud suum , æternúmque supplicium , quàm vel minimam ipsius offensam ducentes : utpote qui persuasissimum habeant , DEUM pro infinitæ suæ naturæ excellentia esse absolutissimum totum , nos verò entia creata , si ex adverso illius statuamur , contemptissimi nihili speciem referre : nec propterea ulla in æstimatione ponendum , quidquid mali evenire possit huic nihilo : dummodo plenè satisfiat infinito illi toto.

5. Quartò considera , te , quamvis per te ipsum ità pauper , abjectus , minimique pretii , & nihil propemodùm sis ; non tamen ullam justam causam te habere exostulandi , ac dolendi , sed amandi potiùs tuam sortem , téque affatim divitem , & præclarum , ac felicem vocandi. Tanta quippe DEI erga te bonitas est , ut te ultro ad sui ipsius , suorumque omnium bonorum participationem invitet. Unde pro arbitratu tuo potes immensis illius opibus quamcunque egestatem depellere , omnipotenti illius virtute quamcunque infirmitatem supplere , affluentissima illius beati-  
tu-



tudine cuius miseriam mederi: evadens in eo nobilissimus, si in te es vilis; in eo ditissimus, si in te es inops: in eo potentissimus; si in te es debilis: in eo paulò penè minus, quàm Deus, si in te paulò major es nihilo. Ità prorsus: quàm miser, & contemnendus est homo, ubi per se ipsum spectatur; tam felix, magnique pretii, ubi attenditur conjunctus DEO. Hæc conjunctio nova quodammodo est illius, meliôrque natura, ad hanc veluti à DEO omnes vocamur; sic & omnes pervenire adjuvante illo possumus. Per hanc consequimur, ut ille, *Bonum bonorum omnium*, fiat nostrum bonum, noster census, nostra possessio. Quod cum ità sit, quisnam futurum unquam putasset, ut homo, animal naturâ adeò inops, adeò infirmum, adeò alienæ opis egens, quique tam assiduus in deploranda hac conditione sua est, pro eo ut quæreret viis, & modis omnibus amicam copulationem cum DEO, hoc est cum ipsamet summa opulentia, virtute, ac felicitate, eam potius licèt ultro sibi oblatam averfaretur, fastidiret, respueret? Et tamen advertete sis, quàm id videri obvium inter homines sit, quàmque frequens eorum turba occurrat, qui pro eo ut impendant se totos supremo illi bonorum omnium Authori, ut per  
 omni-



omnimodam hanc sui dedicationem, ipsum quoque totum vicissim suum faciant; nullâ ipsius curâ tanguntur, quin & ultro occurrentem à se abigunt: *Dicentes DEO, recede à nobis: & quasi nihil possit facere Omnipotens, aestimant eum.* (*Job. c. 22.*) Portentum sanè stoliditatis nusquam alibi auditum, nec minùs à fide absònum; quàm si quispiam frigore semiencetis negligeret ad proximum ignem accedere: siti exustus obvios gelidi fontis latices sperneret: infensissimisque ab hostibus circumventus, mallet eorum mucronibus confodi, quàm oblato fidelissimi amici auxilio servari. Admirare phrenesim tantò prodigiosiore, quantò magis communem, inque plures vulgatam, & quàm firmissimum in tuo animo decretum concipe, nunquam pravè adeò rebus tuis consulendi, ut, cùm nihil boni à te habeas, emendicare illud malis à rebus creatis, quæ non minùs, ac tu eo indigent, quàm apud maximum Conditorem tuum quærere: qui unus omne est tum suum, tum aliorum bonum: unùsque idcirco divites reddere, ac beatos potest, qui sub clientela illius vivunt, qui se illi per amoris fœdus jungunt. Dic ergo illi, sed cum intimo animi sensu: Et quò tandem verti ego possum pauperculus, &



& miser homuncio, mille oppressus necessitatibus, mille vitiis, & defectibus scatens, mille ærumnis confectus, mille circumventus periculis inveniendæ opis, & salutis causâ, nisi ad te DEUS, ad te, inquam, meum Dominum, meum tutorem, ac vindicem, meam spem, meam fortitudinem, meum thesaurum, meam perfectionem, meam felicitatem, meum summum, atque unicum bonum? Nusquam certè aliò; *spes nulla ulterior.* Quocunque extra te oculos tendam, sive ad me, sive ad homines, sive ad alias res terrenas; nihil ibi intueor, nisi paupertatem, nisi miseriam, nisi perturbationum, & inquietudinum causas. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi (Eccl. 2.)* Unus tu es totius boni fons, unus principium, & fulcimentum omnium, quæ extra te sunt. A te uno accepi, ut sim, nec aliunde possum assequi, ut bonus, ac felix sim. Unus tu mihi ad perfectam beatitudinem in posthuma æternitate sufficies: uniusque ad eandem etiam in præsentis adhuc sæculo, quantum fas est, anticipandam, potes sufficere. *In manibus tuis sortes meæ. Tu es fortitudo mea, & refugium meum. Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & im-*  
ples



*ples omne animal benedictione. Omnia in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. Quærant igitur, quibus ità cordi est, in terrenis opibus, in præclara sui æstimatione apud homines, inque sensuum deliciis, & genii oblectamentis sui animi gaudium. Coacervent, quantum possunt, bonorum mortalium ad suam indè sibi extruendam beatitudinem. O cæcos, ô miseros, ô totius consilii, atque mentis expertes! cùm non intelligant, quod cæteroqui tam evidens, ac necessarium scitu est, nullum, præterquam in te verum bonum, nullam posse sinceram lætitiã, & solidam reperiri quietem. Quantum ad me attinet, meridiana luce clariùs perspicio, nihil esse aliud tecum, quàm cum unica nostrarum animarum perfectione, & felicitate conjungi: neque idcirco posse hominem impensius se amare, & rationibus suis meliùs consulere, quàm si tuo totum se amori, & obsequio devoteat. Quare totus esse posthactenus volo, totus à te uno pendere, totum in te uno constituere, & à te uno expectare meum bonum. DEUS meus mihi, & ego illi. Ego fidelis illius servus, ille meus adjutor, meus thesaurus, mea beatitudo. Ità esto, ità futurum confido, Amen.*